

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXI - N. 2

1989

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIOUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1989

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad coetum quendam Advocatorum Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, sodalium «International Academy of Trial Lawyers», coram admissum	107
Allocutio Summi Pontificis eos, qui conventui nationali studii ab «Unione Giuristi Cattolici Italiani» celebrato interfuerunt, coram admissos	109

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO DE DOCTRINA FIDEI

Decretum quo, ad Poenitentiae sacramentum tuendum, excommunicatio latae sententiae illi quicunque ea quae a confessario et a poenitente dicuntur vel per instrumenta technica captat vel per communicationis socialis instrumenta evulgat, infertur	112
Rescriptum ex Audientia SS.mi formulas Professionis Fidei et Iuris iurandi Fidelitatis contingens foras datur	113

SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE

Declaratio. De foro plerarumque probationum	114
Declaratio. De foro competenti in causa nullitatis matrimonii, post sententiam negativam in prima instantia latam	117

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio II)	119
II. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio III)	137
III. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio IV)	165
IV. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio V)	205
V. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio VI)	246
VI. Coetus studii «De Magisterio ecclesiastico» (Sessio VI)	274
* * *	
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	316
Notitiae	317
Index Rerum Generalis	319

IV

COETUS STUDII
«DE PERSONIS PHYSICIS ET MORALIBUS»

(OLIM « DE QUAESTIONIBUS SPECIALIBUS LIBRI II »)

Sessio V
(diebus 24-28 novembris 1969 habita)

Diebus 24-28 novembris 1969 in Aula huius Pontificiae Commissionis habita est V^a Sessio Consultorum, qui Coetum studiorum efformant, ad recognoscendas normas «de personis physicis et moralibus» (olim «De quaestionibus specialibus Libri II»).

In conventibus partes habuerunt Rev.mi quattuor Consultores.

Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, munere Praesidis et Relatoris functus est.

Rev.mus Marianus De Nicolò, Adiutor a studiis Commissionis, acta rededit.

In aliquibus conventibus partem habuit Em.mus D.nus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Commissionis.

Uti quaestiones, in hoc studiorum coetu tractandae, praeviseae erant: De actibus iuridicis, de officiis ecclesiasticis eorumque provisione: de libera collatione, de electione. Insuper de amissione officii ecclesiastici: de emeritis, de renuntiatione, de translatione, de amotione, de privatione.

Initium sumitur a consideratione canonum de personis iuridicis seu canonicis, secundum textum qui in pagina 52-55 anteactae sessionis IVae habetur [cf. *Communicationes*, 21 (1989) 193-195]; sed, cum iam illi canones, ter recogniti, probati sint., Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut ad canum de actibus iuridicis recognitionem gressus fiat. Omnes consentiunt.

RECOGNITIO CANONUM DE ACTIBUS IURIDICIS

Canon 1 (novus)

Validus est actus iuridicus a persona habili vel competenti positus, nisi in eo deficiant quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut desiderentur sollemnia vel conditiones a lege ad validitatem actus impositae.

Placet.

Canon 2 (CIC 103)

§ 1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequam resistere potuit, pro infecto habetur.

§ 2. Actus positus ex alia vi et metu gravi et iniuste incusso aut ex dolo valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest, ad normam can. (1684-1689), per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtinentium sive ex officio.

Placet.

Canon 3 (CIC 104)

Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versatur circa id quod eius substantiam constituit aut qui recidat in conditionem sine qua non, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore initus locum dare potest actioni rescessoriae ad normam iuris.

Rev.mus primus Consultor proponit ut post verbum « potest » adiungatur clausula « salvis canonibus de matrimonio »: tamen in sua propositio-ne non insistit.

Respondit Rev.mus Secretarius Ad. rem necessariam non esse, quia manifesto hic canon non valet pro matrimonio.

Textus canonis remanet uti est.

Canon 4 (novus)

Invalidus censetur actus Collegii si maior pars membrorum Collegii ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum protulerint; si unum alterumve Collegii membrum ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum suum protulerit, validus est, sed locum dat actioni rescessoriae ad normam iuris, ab iis quorum interest.

Placet.

Canon 5 (CIC 105)

Cum iure statuatur ad certos actus ponendos Superiorem indigere con-sensu aut consilio aliquarum personarum:

1º Si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris, consensum earum personarum non exquirentis aut contra earundem votum agentis; si consilium tantum requiratur, invalidus est actus Superioris easdem per-sonas non audientis; Superior licet nulla obligatione teneatur ad earum votum, etsi concors, accedere, tamen, sine praevalenti ratione, suo iudicio

aestimanda, ab earundem voto, praesertim diversarum personarum concorde, ne discedat.

2° Si requiratur consensus aut consilium plurium personarum, omnes quarum consensus aut consilium iure exigatur, legitime convocentur et mentem suam aperire possint; et si non convocantur, aut si illis non praebetur occasio manifestandi suam sententiam, actus Superioris invalidus est, salvo praescripto can. 162 § 4.

3° Omnes de consensu aut consilio requisiti obligatione tenentur ut sincere sententiam suam proferant, atque si negotiorum gravitas, iudicio Superioris, id suadeat sedulo secretum servent.

N. 1

Proponente Rev.mo Secretario Ad., omnes concordant de divisione n. 1 huius canonis, ita ut a verbis «Si consilium... requiratur» n. 2 initium sumat. Et ideo nn. 2 et 3 fiunt respective nn. 3 et 4 eiusdem canonis.

Tollitur insuper, proponentibus Rev.mis Secretario Ad. et primo Consultore, adverbium «tamen» post «Si consilium»; et verbum «accedere» in «accedendi» mutatur.

N. 2 (qui nunc fit 3)

Comparationis causa cum can. 162 § 4 CIC (can. 16, pag. 63) praecedentis Relationis) [cf. *Communicationes*, 21 (1989) 200], proponente Rev.mo Secretario Ad., post verba «et si non convocantur» adiungitur «omnes», et loco «aut si illis» sufficitur «aut si iisdem».

N. 3 (qui nunc fit 4)

Ratione linguae latinae, formula quae sequitur seligitur: «Omnes quorum consensus aut consilium requiritur obligatione tenentur sententiam suam sincere proferendi, atque si negotiorum gravitas, iudicio Superioris, id suadeat, secreto sedulo servandi».

Placet textus totius canonis cum emendationibus propositis.

Canon 6 (novus)

Quicumque illegitime actu iuridico, immo quovis alio actu libere positio, alteri damnum inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum.

Placet.

Tit. IV - DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

Canon 1 (CIC 145)

§ 1. Officium ecclesiasticum est quodlibet munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum (Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 20).

§ 2. Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria definitur sive ipsa lege qua officium instituitur et ordinatur sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur et confertur.

Circa § 1

De officii ecclesiastici notione resumitur disceptatio quae iam habita est in III et IV Sessione huius studiorum Coetus (cfr. *Relationes: Sess. IIIae* (pp. 43-46) [cf. *Communicationes*, 21 (1989) 158-160], *Sess. IVae* (pp. 23-28) [cf. *Communicationes*, 21 (1989) 176-178] et cum iisdem plus minusve argumentis.

In fine discussionis omnes in receptione definitionis officii ecclesiastici, quae a Concilio data est, consentiunt, excepto Rev.mo secundo Consultori, ad cuius mentem notio Concilii est insufficiens, quia exprimit utique praecipuam officii functionem, sed non omnia elementa quae pro officii ecclesiastici notione necessaria videntur.

Circa § 2

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut loco « ipsa lege qua » dicatur « ipso iure quo ». Omnes convenient.

Idem Rev.mus Dominus proponit ut post « constituitur » adiungatur « simul »; ontologice, enim, constitutio et collatio est eadem res, sed logice distinguitur. Duo in praxi habentur possibilitates: 1^a) officium instituitur et confertur; 2^a) officium constituitur et simul (coniunctive) confertur.

Post aliquam disceptationem omnes convenient in propositione Rev.mi Secretarii Ad., ut adiungatur adverbium « simul ».

Caput I - DE PROVISIONE OFFICII ECCLESIASTICI

Canon 146 CIC suppressus remanet.

Canon 2 (CIC 147)

§ 1. Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit.

§ 2. Nomine canonicae provisionis venit collatio officii ecclesiastici a competenti auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta.

Quoad § 1: Placet.

Quoad § 2:

Post aliquam disceptationem Rev.mum Secretarium Ad. inter et Rev.mum primum Consultorem, ab omnibus convenitur ut dicatur tantum « nomine... officii ecclesiastici ad normam sacrorum canonum », demptis verbis « a competenti auctoritate ecclesiastica... facta ».

Ratio est quod auctoritas inest etsi non specificatur (primus Consultor) et in sequenti canone de ea sermo fit (Secretarius Ad.). Sufficit insuper dicere « ad normam sacrorum canonum » — notat adhuc Rev.mus Secretarius Ad. — quia in casu, ex. gr. electionis quae confirmatione non egeat, auctoritatis ecclesiasticae interventus non habetur. Placet aliis.

Canon 3 (CIC 148)

§ 1. Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem ab Auctoritate competenti factam, aut per institutionem ab eadem datam, si praecesserit praesentatio ad normam sacrorum canonum peracta, aut per confirmationem vel admissionem ab eadem factam, si praecesserit electio vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.

§ 2. De officiorum provisione per institutionem serventur praescripta cann. 1448-1471.

Rev.mi Secretarius Ad. et primus Consultor tenent quod in § 1 omnes sint praevisi modi officii ecclesiastici provisionis et sunt concordes ut § 2 supprimatur, eo vel magis quod canones ibi citati ius patronatum resipiunt, quod post Concilium amplius non admittitur.

E contra, iuxta Rev.mum secundum Consultorem, ius patronatus adhuc sustinetur: refert enim in Austria Curiam Archiepiscopalem Vindobonensem renuntiationem ex parte alicuius qui iure patronatus gaudebat, recusavisse.

Instat, tamen, Rev.mus Secretarius Ad. quod Concilium noluit tantum ut pro futuro ius patronatus adhuc constituatur. Et adiungit, iuxta necessitates, Sancta Sedes, pro aliqua regione, semper aliter providere potest, per privilegium vel alio modo.

In fine discussionis opinio Rev.morum Secretarii Ad. et primi Consultoris praevalet et § 2 suppressa remanet.

Re ulterius considerata, Rev.mus Secretarius Ad. notat quod circa

praesentationem etiam alia sunt dicenda, quia sunt praesentationes quae non tantum a patrono fiunt, sed etiam a Superioribus Religiosis; et adest insuper praesentatio popularis, etsi non semper characterem electionis praeseferat. Habetur itaque praesentatio quae fit ab una persona physica vel iuridica, a pluribus, id est, a coetu personarum, et popularis, a tota communitate.

Aliqua, ideo, notat Rev.mus Secretarius Ad., circa haec omnia expedit dicere et pro proxima vice aliquas normas ipse parabit.

Canon 4 (CIC 149 et 153)

§ 1. Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, esse debet idoneus, scilicet iis qualitatibus esse praeditus, quae iure universalis vel particulari aut lege fundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Ad officium ecclesiasticum assumatur ille qui, omnibus perennis, magis sit idoneus, omni personarum acceptione seclusa.

§ 3. Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis, irrita tantum est si qualitates iure universalis vel particularis aut lege fundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur; secus valida est, sed irritari potest sive per sententiam iudicis sive per decretum Auctoritatis competentis.

Quoad § 1:

Rev.mus Secretarius Ad., notat se textum priorem mutavisse, ita ut dictio magis congrua sit: ius enim universale opponitur particulari, dum commune singulari opponitur. Proponit, insuper, ut loco «esse debet» dicitur «debet esse»; post verbum «qualitatibus» tollatur «esse»; loco «iuri» legatur «iure».

Textus § 1 placet cum iis emendationibus.

Quoad § 2:

Rev.mus secundus Consultor aestimat hoc tantum valere pro libera collatione; in collatione, enim, necessaria aestimat sufficere «idoneus»: in hoc praecise est differentia inter collationem liberam et collationem necessariam.

Rev.mus tertius Consultor notat quod, si dicitur «seclusa acceptione personarum», consequitur quod eligi debet magis idoneus: concordant Rev.mi Secretarius Ad. et primus Consultor.

Rev.mus primus Consultor notat insuper quod § 2 respicit casum in

quo res adhuc integra est, secus (si res adhuc integra non est, habetur ius ad rem, quod pro omni provisione valet) idoneus confirmari debet.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut loco «assumatur» dicatur «nominetur, eligatur aut praesentetur» quamvis verbum «assumere» omnia comprehendat, quia «seligere» significat et non confirmare, etc.; regula enim est generalis et valet pro nominatione, electione et praesentatione. Electores tenentur eligere magis idoneum, sed Auctoritas illum qui idoneus esse resultat confirmare debet.

Etiam Rev.mi tertius, quartus et primus Consultores concordant cum Rev.mo Secretario Ad.

Rev.mus secundus Consultor tamen in sua sententia instat, ex metu improbi usus praesertim in libera collatione.

Em.mus Praeses praefert verbum «assumatur» quia magis genericum et aliquam comparationem indicat sive in mente praesentantis sive in electione per votorum maioritatem.

Diceret insuper «vere idoneus» ut regula, vel criterium magis obiectivum indicetur. Nam, qui est vere idoneus est magis idoneus; de coetero, nemo aliquem eligit qui sibi non videtur magis idoneum. Locutio «magis idoneus» ipsis non placet.

Rev.mus quartus Consultor tenet insuper locutionem iuridicam non esse, quod negant alii.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut in canone tantum de acceptance personarum sermo fiat. Rev.mus secundus Consultor proponit ut canonis textus relinquatur uti in Codice sub titulo de libera collatione.

Instat Rev.mus quartus Consultor in iure normas huius generis non assimi debere quia agitur de acceptance morali: est quidem norma, sed certo certius non est norma iuridica. Dum alii, denuo, contradicunt et contendunt agi de norma morali quae tamen est etiam vere iuridica.

Omnibus perpensis, notat Em.mus Praeses, est locutio quae nil dicit, sed quod abundat non vitiat. De coetero si quis est idoneus vere et obiective sufficit. Considerari potest sicuti norma deontologica.

In hoc canone, prosequitur Rev.mus quartus Consultor, non est res tanti momenti. In conceptione universalis iuris, momentum huius § non videtur et in iure civili numquam invenitur. Sufficiunt §§ 1 et 3 ubi revera normae iuridicae adsunt.

Discussio prosequitur, cuius in fine res per suffragia solvit:

1) an supprimi placeat § 2: Placet 2 (quartus Consultor et Secretarius Ad.) — Non placeat 3 (secundus, primus, tertius Consultores). Ergo § 2 manet.

2) an textus § 2 debeat manere uti est: Placet 3 (Secretarius Ad., pri-

Canon 13 (CIC 159): qui fit canon 11

Cuiuslibet officii provisio scripto, in actibus Curiae, consignetur.

Eadem ratione, de qua supra, etiam hic canon in partem generalem de provisione officii transfertur et fit can. 11. Placet.

Art. II - DE ELECTIONE

Canon 14 (CIC 160) (norma provisorie inscripta)

Romani Pontificis electio unice regitur const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 decembris 1904; in aliis electionibus ecclesiasticis serventur praescripta canonum qui sequuntur, et peculiaria, si quae sint, pro singulis officiis legitime statuta.

Post aliquam disceptationem omnes concordant ut in hoc canone norma quae Summi Pontificis electionem respicit tantum remaneat; alia ad alium canonem remittenda sunt. Loco Const. Ap. Pii X *Vacante Sede Apostolica* 25 decembris 1904, citetur Const. Ap. Pii XII *Vacantis Apostolicae Sedis*, 8 decembris 1945 et M.P. Ioannis XXIII *Summi Pontificis electio* 5 septembris 1962. Et denique ponatur indicatio « norma provisorie inscripta ». Placet.

Alterae partis canonis 14 (CIC 160) textus — qui fit can. 14 bis — sequens est: « Nisi aliter iure universalis vel particulari aut legitimis collegiorum vel coetuum statutis provisum fuerit, in coeteris electionibus canonici serventur praescripta canonum qui sequuntur ». Placet.

Post hoc, notat Rev.mus quartus Consultor, in canonibus qui sequuntur verba « nisi aliud cautum fuerit » tolli possunt. Placet.

Canon 15 (CIC 161)

Si cui collegio aut coetui personarum sit ius eligendi ad officium, electione, nisi aliud iure cautum fuerit, numquam differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii; quo termino inutiliter elapsa, Auctoritas ecclesiastica, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.

Praehabita disceptatione circa difficultates quae oriri possunt e terminologia et usu verbi « collegium » et « coetus personarum », omnibus rite perpensis, servatur textus prout iacet, demptis tamen verbis « nisi aliud iure cautum fuerit » et posito, loco « numquam », « non ». Placet.

Canon 16 (CIC 162)

§ 1. Salvis peculiaribus constitutionibus vel consuetudinibus, collegii aut coetus praeses, statuto modo, loco ac tempore electoribus convenienti, convocet omnes de collegio aut coetu; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat vel in loco domicilii aut quasi-domicilii vel in loco commorationis.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet, sed ad eius instantiam debet, probata quidem praeteritione et absentia, a competenti Auctoritate irritari, etiam secuta confirmatione, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.

§ 3. Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electione est ipso iure nulla.

§ 4. Defectus convocationis non obstat, si praetermissi nihilominus interfuerint.

§ 5. Si agatur de electione ad officium quod electus ad vitam retinet, convocatio electorum ante officii vacationem nullum habet iuridicum effectum.

Quoad § 1:

Tollantur verba «Salvis peculiaribus constitutionibus vel consuetudinibus» et comma post «praeses» ita ut § ita incipiet «Collegii aut coetus...».

Post «convocet» dicatur «omnes ad collegium aut coetum pertinentes».

Placet.

Quoad § 2:

Post «electio valet» hoc modo textus modificetur: «Attamen ad eiusdem instantiam, probata quidem praeteritione et absentia, electio, etiam si confirmata fuerit, a competenti Auctoritate irritari debet, dummodo iuridice...». Placet.

Quoad § 3:

Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur: «Quod si plures... neglecti et ideo absentes fuerint...» supprimendo § 4.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut in unum redigantur §§ 3 et 4. Negat Rev.mus Secretarius Ad. cum § 4 sese referat etiam ad § 2.

Fit discussio, cuius in fine, proponente Rev.mo Secretario Ad., omnes concordant in redactione quae sequitur: « Quod si plures... ipso iure nulla, nisi omnes neglecti reapse interfuerint ». Placet.

Quoad § 4:

Supprimitur, cum norma expressa sit in § 3.

Quoad § 5:

Supprimitur, cum iam provisum sit in can. 8, ubi agitur de officio non vacante.

Placet textus canonis cum emendationibus propositis.

Canon 17 (CIC 163)

§ 1. Convocatione legitime secuta, ius eligendi pertinet ad eos qui praesentes sunt die in convocatione statuto, exclusa facultate ferendi suffragia sive per epistolam, sive per procuratorem, nisi lege peculiari aliud caveatur.

§ 2. Si quis ex electoribus praesens sit in domo in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur, nisi aliter particularibus legibus vel legitimis consuetudinibus fuerit constitutum.

Quoad § 1:

Rev.mus Secretarius Ad., p[re] oculis habitis observationibus factis, proponit quod, loco « convocatione... secuta », dicatur « facta », quia locutio fit magis iuridica, et textus ita modificetur: « Convocatione legitime facta, ius eligendi habent praesentes die et loco in eadem convocatione statutis, exclusa, nisi aliud lege particulari caveatur, facultate ferendi suffragia sive per epistolam, sive per procuratorem ».

Rev.mus secundus Consultor aliquam movet difficultatem: ipsi expressio « ius eligendi habent » non placet, quia quis, etsi non praesens, ius semper habet eligendi, dum praesentes ius efficax habent suffragium ferendi; quapropter distinguitur ius eligendi et negotium eligendi, id est exercitium illius iuris, quod convocationem legitime factam praesupponit.

Rev.mus primus Consultor proponit ut verba « convocatione legitime facta » deleantur, quia in canone praecedenti iam sermo est de convocatione.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur « ius ferendi suffragium exercent ».

Tandem aliquando, post aliquam disceptionem, omnes conveniunt in formulatione a Rev.mo Secretario Ad. proposita, quae haec est: « Convocatione legitime facta, firmo quidem can. 16, suffragium ferendi ius habent praesentes die et loco in eadem convocatione statutis, exclusa facultate ferendi suffragia sive per epistulam, sive per procuratorem ».

Placet.

Quoad § 2:

Placet, demptis verbis « nisi... constitutum ».

Canon 18 (CIC 164)

Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

Placet.

Canon 19 (CIC 165)

Qui non pertinet ad coetum seu collegium, ad suffragium admitti non potest, salvis privilegiis legitime quaesitis; secus, electio est ipso facto nulla.

Rev.mus Secretarius Ad. aliam proponit formulam canonis: « Ut valida sit electio, nemo ad suffragium admitti potest, qui ad collegium vel coetum non pertinet, salvis privilegiis legitime quaesitis ».

Rev.mus primus Consultor proponit dicere « salvis iuribus quaesitis ex privilegiis legitimis ».

Verba illa, iuxta Rev.mum secundum Consultorem, possunt deleri: non esset pulchrum enim ut in norma possilitas privilegii indicetur; tamen — contradicunt Rev.mi primus et tertius Consultores — si quis privilegium habet, utitur iure suo.

Animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. quod per comparationem cum hodierno Codice quis posset cogitare omnia privilegia abrogata esse, quod non cogitatur. Ideo expedit saltem dicere « salvis legitimis privilegiis ». Concordant alii.

Placet formula a Rev.mo Secretario Ad. proposita cum ultima emendatione, i.e. dempto verbo « quaesitis ».

Canon 20 (CIC 166)

Electio, cuius canonica libertas quoquo modo impedita fuerit, ipso iure invalida est.

Ad difficultatem, quam Rev.mus quartus Consultor movet per comparationem istius canonis cum can. 22 (CIC 169), respondit Rev.mus secundus Consultor hic de electione qua tali sermonem esse, illic de singulis suffragiis.

Placet.

Canon 21 (CIC 167)

§ 1. Nequeunt suffragium ferre:

- 1° Incapaces actus humani;
- 2° Minores quattuordecim annorum;

3° Censura vel infamia iuris affecti, si intercesserit sententia declaratoria vel condemnatoria;

4° Qui communitate ecclesiastica ab Apostolica Sede Romana seiunctae adscripti sunt, salvis statutis consociationum christifidelium de quibus in canonibus...;

5° Carentes voce activa sive vi praescripti iuris universalis aut particularis, sive ob legitimam iudicis sententiam.

§ 2. Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

Quoad § 1, n. 1: placet

N. 2

Iuxta Rev.mi primi Consultoris sententiam oportet ut aetas ad suffragia ferenda elevetur: pro professione religiosa perpetua, enim, vigesimus primus aetatis annus expletus requiritur. Ex alia parte, animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad., pro professione temporanea tantum decimus sextus aetatis annus requiritur et hic terminus assumi potest.

In fine, tamen, convenitur assumendi terminum propositum a Coetu de Religiosis pro professione religiosa temporanea.

N. 3

Circa infamiam iuris res accommodabitur ad ea quae in Coetu de poenitentia statuentur.

Nn. 4-5: Placet.

Quoad § 2: Placet.

Canon 22 (CIC 169)

§ 1. Suffragium, ut validum sit, requiritur:

1° Liberum; ideoque invalidum est suffragium eius, qui metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive;

2° secretum, certum, absolutum, determinatum.

§ 2. Conditiones ante electionem suffragio apposita tanquam non adiectae censemur.

Placet.

Canon 23 (CIC 170)

Suffragium sibimetipsi nemo valide dare potest.

Placet.

Canon 24 (CIC 171)

§ 1. Antequam incipiat electio, per secreta suffragia deputentur, nisi iam propriis statutis deputati sint, e gremio collegii aut coetus duo saltem scrutatores, qui una cum praeside, si et ipse e gremio collegii sit, iusiurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione.

§ 2. Scrutatores current ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato ordine statuto ab unoquoque electore ferantur; collectisque omnibus schedulis, coram praeside electionis, secundum formam propriis constitutionibus vel legitimis consuetudinibus statutam, inspiciant an schedularum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quot quisque retulerit.

§ 3. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.

§ 4. Schedulae statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, comburantur.

§ 5. Omnia electionis acta ab eo, qui actuarii munere fungitur, accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.

Quoad § 1:

Rev.mus quartus Consultor proponit quod norma circa iusiurandum tollatur. Concordant alii.

In Synodo Episcoporum, notat Rev.mus tertius Consultor, numquam scrutatores iusiurandum praestiterunt.

Ideo, omnibus consentientibus, textus huius paragraphi finem habet post verba «duo saltem scrutatores», ceteris demptis.

Placet.

Quoad § 2:

Rev.mo quarto Consultori locutio «diligenter» non placet, quia exhortativa tantum est et ideo delenda. Contradicit Rev.mus Secretarius Ad. notando quod etiam in codicibus civilibus invenitur: et ipsi videtur conservanda expressio. Concordant Rev.mi tertius, primus et secundus Consultores. Ideo remanet.

Placet § 3.

Quoad § 4:

Rev.mus secundus Consultor proponit ut loco «comburantur» dicatur «destruantur». Placet emendatio.

Placet § 5.

Canon 25 (CIC 172)

§ 1. Electio, nisi aliud iure caveatur, fieri etiam potest per compromissum, dummodo electores, unanimi et scripto consensu, in idoneos sive de gremio sive extraneos ius eligendi pro ea vice transtulerint, unum vel plures, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant.

§ 2. Si agatur de clericali collegio aut coetu, compromissarii in sacris debent esse constituti; secus electio est invalida.

§ 3. Compromissarii debent pro validitate electionis conditiones compromisso appositas, quae non sint contra ius commune, observare; si nullae conditiones additae fuerint, servandum ipsis est ius commune circa electiones; conditiones autem contra ius pro non appositis habeantur.

§ 4. Etiam in electione per compromissum praescriptum can. 170 servari debet.

Quoad § 1:

Proponente Rev.mo secundo Consultore, post « dummodo » adiungitur « nempe » et « transtulerint » mutatur in « transferant ». Placet.

Quoad § 2:

Ad praecavendas difficultates praesertim hodie, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut post « coetu » adiungatur « scilicet ex solis clericis constante ». Placet.

Si agitur de collegio aut coetu quod constituitur de clericis et non clericis, id est de collegio aut coetu non clericali, hoc est ius suppletivum tantum, quia sequitur, uti pro Religiosis, ius proprium.

Quoad § 3:

Post aliquam disceptationem omnes conveniunt in textu a Rev.mo Secretario Ad. proposito, qui sic sonat: « Compromissarii debent iuris praescripta de electione servare, atque, ad validitatem electionis, conditiones compromisso appositas, nisi iuri non contrarias, observare; conditiones autem iuri contrariae pro non appositis habeantur ».

Quoad § 4:

Textus cadit, quia in praecedenti paragrapho provisum.

Canon 26 (CIC 173)

Cessat compromissum et ius eligendi redit ad compromittentes:

1° Revocatione a collegio aut coetu facta, re integra;

2° Non impleta aliqua conditione compromisso apposita;

3° Electione absoluta, si fuerit nulla.

Iuxta superius dicta, loco « eligendi » dicatur « suffragium ferendi ».

Placet canon.

Canon 27 (CIC 174)

Is electus habeatur et a collegii aut coetus praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can...

Placet.

Canon 28 (CIC 175)

§ 1. Electio illico intimanda est electo, qui debet saltem intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet; secus electio effectum non habet.

§ 2. Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione amittit nec subsequenti acceptatione convalescit; rursus eligi potest; collegium aut coetus intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet.

Totus canon placet, dempto in § 1 « saltem » post « qui debet » et insertis verbis « collegii aut coetus praesidi » post « manifestare ».

Canon 29 (CIC 176)

§ 1. Acceptatione electionis electus, si confirmatione non egeat, plenum ius statim obtinet; secus, non acquirit nisi ius ad rem.

§ 2. Ante intimatam confirmationem, electo non licet sese immiscere administrationi officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt.

Quoad § 1:

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « Electus, acceptata electione, quae confirmatione... ». Placet.

Quoad § 2:

Notat Rev.mus primus Consultor quod res est ita clara quae etiam omitti potest, sed non nocet. Omnes sunt concordes ut remaneat.

Placet.

Canon 30 (CIC 177)

§ 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, saltem intra octiduum a die intimatae electionis confirmationem ab Auctoritate competenti petere per se vel per alium debet; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento detentum fuisse.

§ 2. Competens Auctoritas si electum repererit idoneum, et electio ad normam iuris fuerit peracta, confirmationem denegare nequit.

§ 3. Confirmatio in scriptis dari debet.

§ 4. Recepta confirmatione, electus obtinet plenum ius in officio, nisi aliud in iure caveatur.

Canon placet, sed tollatur « saltem », in § 1, post verbum « indigeat »; et in § 4, loco « recepta », dicatur « facta ».

Canon 31 (CIC 178)

Si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium coetusve iure eligendi legitime privetur, libera officii provisio ad eam auctoritatem devolvitur, a qua confirmando esset electio vel cui ius providendi successive competit.

Placet.

Et sic art. II de electione explicit.

Tamen Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit quod remanet quaestio a Rev.mo secundo Consultore proposita de collegio, quod non convenit pro electione, id est, de electione per epistulam et per opportunum videtur aliquas saltem normas condere.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit normas modo valde generali exprimendas et prae primis duo principia servanda esse: suffragium sibi metipsi datum non valere et secretum esse servandum.

Alia ponuntur puncta a Rev.mo Secretario Ad.: quo nomine vocatur coetus qui non convenit: quinam sunt electores [domicilium, quasi domicilium (vagi?)]. Distinguendum insuper est coetum clausum inter et aperatum. Pro iis qui convenient normae de convocatione, dum de intimatione pro iis qui non convenient, parandae sunt.

Ipse parabit normas fundamentales directivas pro variis modis electionis, quae hodie sunt magni momenti.

Art. III - DE POSTULATIONE

Canon 32 (CIC 179)

§ 1. Si electioni illius quem electores aptiorem putent ac preferant, impedimentum obstet, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competenti Auctoritate postulare.

§ 2. Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum.

Placet.

Canon 33 (CIC 180)

§ 1. Ut postulatio vim habeat, requiruntur saltem duae tertiae partes suffragiorum.

§ 2. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: *postulo*, aut aequivalens; formula: *eligo vel postulo*, aut aequipollens, valet pro electione, si impedimentum non existat, secus pro postulatione.

Placet.

Canon 34 (CIC 181)

§ 1. Postulatio saltem intra octiduum mitti debet ad auctoritatem competentem ad quam pertinet electionem confirmare, cuius est dispensationem de impedimento concedere, aut, si facultatem non habeat, eandem ab auctoritate superiore petere; si non requiritur confirmatio, postulatio mitti debet ad auctoritatem competentem ad dispensationem concedendam.

§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla evadit, et electores pro ea vice privantur iure eligendi aut postulandi, nisi probent se a mittenda postulatione iusto detentos fuisse impedimento.

§ 3. Postulato nullum ius acquiritur ex postulatione quam quidem Auctoritas competens admittere non tenetur.

§ 4. Praesentatam Auctoritati competenti postulationem electores revocare non possunt, nisi Auctoritate consentiente.

§ 1: Placet, dempto « saltem » post « Postulatio ».

§ 2: Proponente Rev.mo Secretario Ad., loco « nulla evadit », dicatur « nulla est ». Placet.

§ 3: Post « ex postulatione » adiungatur comma punctum. Rev.mus secundus Consultor proponit ut libertas auctoritatis aliis verbis quam « admittere non tenetur » enuntietur. Rev.mus primus Consultor proponit « pro sua discretione »; Rev.mus Secretarius Ad. « pro sua prudentia »; Rev.mus tertius Consultor praefert ut maneat uti iacet textus.

In fine Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « eam auctoritas »... loco « quam quidem », quod omnibus placet.

§ 4: Placet.

Canon 35 (CIC 182)

§ 1. Non admissa ab Auctoritate competenti postulatione, ius eligendi ad collegium vel coetum reddit.

§ 2. Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulato, qui respondere debet ad normam can. 28 § (CIC 175).

§ 3. Si eam acceptet, plenum ius statim in officio acquirit.

§§ 1 et 2 placent.

§ 3: Proponente Rev.mo Secretario Ad., dicatur «Qui admissam postulationem acceptet...», loco «Si eam acceptet». Placet.

Caput II - DE AMISSIONE OFFICII ECCLESIASTICI
(prima recognitio canonum CIC)

Canon 183 CIC (1)

Circa § 1:

Loco ordinis`qui in Codice ponitur, sequens series modorum quibus officium ecclesiasticum amitti potest, seligitur: praefinitio, emeritus (quando aetatis gratia quis ab officio cessat), renuntiatio, translatio, amotio, privatio.

Placet.

Circa § 2:

Loco «concessum» dicatur «collatum» et «nisi in collatione» loco «nisi in concessione».

Deleatur locutio «ad beneplacitum nostrum» quia hodie non bene sonat. Omnes concordes sunt in supprimenda verba «aut nisi...» et sequentia; et loco «nisi lex...» dicatur «nisi aliud iure caveatur».

Textus ergo recognitus sic sonat:

§ 1. Amittitur officium ecclesiasticum lapsu temporis praefiniti, expletione aetatis qua quis ad normam iuris fit emeritus, renuntiatione, translatione, amotione necnon privatione.

§ 2. Resoluto quovis modo iure Superioris a quo fuerit collatum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi aliud iure caveatur.

Adiungatur, insuper, § 3, quae sic se habet: «Officii amissio, quae effectum sortita fuerit, quamprimum omnibus nota fiat quibus aliquod ius in officii provisionem competit».

1. DE EMERITATO (VEL DE EMERITIS)

Canon 2 (novus)

Qui expleverit aetatem, qua impleta ad normam iuris emeritus fit, officium retinet usquedum amissio officii ipsi a competenti auctoritate scripto intimetur.

Placet.

2. DE RENUNTIATIONE

Canon 184 CIC (3)

Proponente Rev.mo primo Consultore, loco « nisi speciali... » dicatur tantum « nisi renuntiatio sit ipsi canonice interdicta ». Placet.

Ergo textus sic sonat:

Quisquis sui compos potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare, nisi renuntiatio sit ipsi canonice interdicta.

Canon 185 CIC (4)

Textus remanet uti iacet, mutato tantum ordine verborum in fine « ipso iure irrita est », loco « irrita est ipso iure ». Textus est sequens:

Renuntiatio ex metu gravi, iniuste incusso, dolo aut errore substantiali vel simoniace, ipso iure irrita est.

Canones 186, 187, 189, 191 CIC (5)

Res, quae in can. 187 dicuntur, post disceptationem et varias formulationes, hoc modo exprimuntur: « Renuntiatio ut valeat, sive acceptatione egeat, sive non, ei auctorati fieri debet cui provisio ad officium de quo agitur pertinet » (§ 1).

Ad can. 189 § 1 quod attinet, Rev.mus primus Consultor animadvertisit normam Codicis claram non esse, quia Superior non debet habere causas sed renuntians. Animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. iusta causa renuntiantis est iusta etiam pro Superiore; ab utraque parte requiritur enim iusta causa. Sequens textus proinde seligitur: « Auctoritas renuntiationem iusta et proportionata causa non innixam ne acceptet » (§ 2). — Placet.

Ea quae in cann. 186, 189, 190, 191 § 1 post disceptationem et varias formulationes, omnibus consentientibus, sequenti modo exprimuntur.

§ 3. Renuntiatio quae acceptatione indiget, ut effectum sortiri valeat, intra tres menses acceptari debet; quae acceptatione non indiget, effectum sortitur intimatione ad normam iuris facta.

§ 4. Renuntiatio quamdiu effectum sortita non fuerit, a renuntiante revocari valet; effectu secuto revocari nequit, sed qui renuntiaverit, officium alio ex titulo consequi potest ».

§ 2, can 191.

Cum norma quae hic habetur valeat pro omnibus modis amissionis officii, transfertur ut § 3 can. 1 huius capituli II.

Canon 188 CIC

Tractandus est ubi de amotione, et ideo ad punctum quartum remittitur.

3. DE TRANSLATIONE

Canon 193 CIC (6)

In § 1, loco « tum » dicatur « sive »; « fieri potest » loco « perfici » et « amovendi » loco « removendi » et textus qui proponitur est sequens:

Translatio ab eo tantum fieri potest, qui ius habet providendi officio quod amittitur simul ac officio quod committitur ».

Placet.

Cum norma quae continetur in § 2 eiusdem canonis sit generalis et valeat etiam pro non clericis, Rev.mus primus Consultor proponit ut verbum « clericis » deleatur.

Adiungatur insuper § 3 ubi ponatur uti conditio essentialis quod translatio scripto intimanda est. Textus ergo duarum §§ sic sonat:

§ 2. Ad translationem, si fit de consensu eius qui officium detinet, sufficit quaelibet iusta causa; si fit eodem invito, eadem causa requiritur idemque modus procedendi servandus est qui pro amotione ab officio praescribuntur.

§ 3. Translatio ut effectum sortiatur scripto intimanda est.

Placet.

Canon 194 CIC (7)

Post disceptationem, omnes conveniunt quod § 1 debeat remanere sed rem alio modo exprimendam aestimant.

Etiam pro § 2 habetur tantum mutatio verborum.

Textus ergo est sequens:

§ 1. In translatione prius officium vacat per possessionem alterius officii canonice habita, nisi aliud iure caustum aut a competenti auctoritate praescriptum fuerit.

§ 2. Reditus prioris officii translatus percipit, donec alterius possessionem canonice habeat.

Placet.

4. DE AMOTIONE

Plura sunt circa hanc materiam consideranda, iuxta sententiam Rev.mi secundi Consultoris, in nova legislatione, quia, ex.gr., ius vigens respicit tantum clericos et non laicos. Etiam si officia ecclesiastica non amplius in « inamovibiles » et « amovibiles » distinguuntur, tamen, praesertim cum agatur de laicis, qui, familiae causa, personae aliqua stabilitate in officio gaudere debent, res sedulo consideranda est. Et insuper prae oculis habendum est quod in lege fundamentali sancitum est quod fideles possunt iura sua coram Ecclesia defendere etiam via iudiciali.

Quaestio est, iuxta Rev.mum Secretarium Ad., an hic loquendum sit de hac re, an potius in parte de processibus.

Instat Rev.mus secundus Consultor circa principium quod etsi omnia officia amitti possint, debent tamen stabilitate gaudere.

Animadvertisit Rev.mus primus Consultor quod posset distingui perpetuitas positiva et negativa; in casu negativae perpetuitatis, provisio ad normam iuris revocari potest.

Adhuc Rev.mus secundus Consultor instat quia stabilitas in officio ea esse debet qua fruuntur officiales in legislatione civilium nationum. Saltem pro laicis, notat Rev.mus quartus Consultor, haber debet titulus contractus pro servitio in Ecclesia.

Rev.mus Secretarius Ad. textum canonis generalis de amotione enuntiat, ab omnibus probatum, sequenti formula:

Canon 8

« Ab officio quis amovetur sive decreto auctoritatis competentis ad normam can. 5, servatis quidem hoc casu iuribus ex contractu quaesitis, sive ipso iure ad normam can. 3 ».

Canon 9

Textus propositus, et probatus, sic sonat:

§ 1. Ab officio quod, secundum iuris praescripta, alicui confertur ad nutum auctoritatis competentis, potest quis qualibet iusta ex causa, de iudicio eiusdem auctoritatis, amoveri.

§ 2. Ab officio quod alicui confertur per se ad vitam, non potest quis amoveri nisi ob causas iure determinatas atque servato procedendi modo eodem iure definito.

§ 3. Eadem norma § 2 valet ut ab officio, quod alicui ad tempus determinatum confertur, quis, ante hoc tempus elapsum, amoveri possit.

§ 4. Decretum amotionis ut effectum sortiatur scripto intimandum est.

Canon 188 CIC (10)

Textus propositus, et approbatus, est sequens:

§ 1. Ipso iure a quolibet officio amovetur:

1° qui a fide catholica aut a communione Ecclesiae publice defecerit;

2° qui matrimonium civile tantum, contra iuris canonici praescripta, contraxerit;

3° qui aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatibile acceptaverit et eiusdem pacificam possessionem obtinuerit, salvo canone... (ubi de clausula derogatoria);

4° qui professionem religiosam emiserit, nisi de consensu auctoritatis competentis atque Superioris religiosi officium retinere possit;

5° qui intra tempus utile, ipso iure aut ab auctoritate competenti statutum, officium sibi collatum adire neglexerit;

6° qui, contra iuris praescripta, officium deseruerit;

7° qui residentiam, qua tenetur, illegitime deseruerit et receptae auctoritatis competentis monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum tempus ab auctoritate praefinitum, nec paruerit nec responderit.

§ 2. Ipso facto ab officio clericali amovetur:

1° qui statum clericalem amiserit;

2° qui militiae saeculari nomen sponte dederit.

§ 3. Amotio de qua in §§ 1 et 2 ut urgeri valeat requiritur ut de eadem auctoritatis competentis declaratione constet.

Canon 11 (novus)

Textus propositus, et approbatus, sic sonat:

Si quis per decretum auctoritatis competentis ab officio amoveatur quo eiusdem subsistentiae providetur, eadem auctoritas curare debet ut ipsius subsistentiae congruo tempore prospiciatur, nisi aliter eidem provisum sit.

5. DE PRIVATIONE*Canon 12*

Textus propositus, et approbatus, est sequens:

§ 1. Privatio ab officio, in poenam scilicet delicti, ad normam iuris tantummodo fieri potest.

§ 2. Privatio effectum sortitur secundum praescripta canonum de iure poenali.

Ita expleta disceptatione de quaestionibus in hac sessione pertractandis, preces de more funduntur et finis laboribus imponitur.

Proxima vice canones 196-210 CIC de potestate ordinaria et delegata examini subiicientur.

Romae, die 28 novembris 1969.

M. DE NICOLÒ
Ad. a Studiis

CANONES IN HAC SESSIONE RECOGNITI ET APPROBATI
DE ACTIBUS IURIDICIS

Canon 1 (novus)

Validus est actus iuridicus a persona habili vel competenti positus, nisi in eo deficiant quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut desiderentur sollemnia vel conditiones a lege ad validitatem actus imposita.

Canon 2 (CIC 103)

§ 1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequam resistere potuit, pro infecto habetur.

§ 2. Actus positus ex alia vi et metu gravi et iniuste incusso aut ex dolo valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest, ad normam can. (1684-1689) per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtinentium sive ex officio.

Canon 3 (CIC 104)

Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versatur circa id quod eius substantiam constituit aut qui recidat in conditionem sine qua non, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore initus locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.

Canon 4 (novus)

Invalidus censetur actus Collegii si maior pars membrorum Collegii ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum protulerint; si unum alterumve Collegii membrum ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum suum protulerit, validus est, sed locum dat actioni rescissoriae ad normam iuris, ab iis quorum interest.

Canon 5 (CIC 105)

Cum iure statuatur ad certos actus ponendos Superiorem indigere consensu aut consilio aliquarum personarum:

1º Si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris, consensum earum personarum non exquirentis aut contra earundem votum agentis;

2º Si consilium requiratur, invalidus est actus Superioris easdem personas non audientis; Superior licet nulla obligatione teneatur ad earum

votum, etsi concors, accedendi, tamen, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim diversarum personarum concorde, ne discedat;

3° Si requiratur consensus aut consilium plurium personarum, omnes quarum consensus aut consilium iure exigatur, legitime convocentur ut mentem suam aperire possint; et si non convocantur omnes, aut si iisdem non praebetur occasio manifestandi suam sententiam, actus Superioris invalidus est, salvo praescripto can. 162 § 4;

4° Omnes quorum consensus aut consilium requiritur obligatione tenentur sententiam suam sincere proferendi, atque si negotiorum gravitas, iudicio Superioris, id suadeat, secreto sedulo servandi.

Canon 6 (novus)

Quicumque illegitime actu iuridico, immo quovis alio actu libereposito, alteri damnum inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum.

* * *

Tit. IV - DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

Canon 1 (CIC 145)

§ 1. Officium ecclesiasticum est quodlibet munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum (Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 20).

§ 2. Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria definiuntur sive ipso iure quo officium instituitur et ordinatur sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur simul et confertur.

Caput I - DE PROVISIONE OFFICII ECCLESIASTICI

Canon 2 (CIC 147)

§ 1. Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit.

§ 2. Nomine canonicae provisionis venit collatio officii ecclesiastici ad normam sacrorum canonum.

Canon 3 (CIC 148)

Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem ab auctoritate competenti factam, aut per institutionem ab eadem datam, si praecesserit praesentatio ad normam sacrorum canonum peracta, aut per confirmationem vel admissionem ab eadem factam, si praecesserit electio vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.

Canon 4 (CIC 149 et 153)

§ 1. Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, debet esse idoneus, scilicet iis qualitatibus praeditus, quae iure universalis vel particulari aut lege fundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Officiis ecclesiasticis nominetur, praesentetur aut eligatur ille qui, omnibus perpensis, magis sit idoneus, omni personarum acceptione seclusa.

§ 3. Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis, irrita tantum est si qualitates iure universalis vel particularis aut lege fundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur; si non expresse ad validitatem exigantur, valida est, sed irritari potest sive per sententiam iudicis sive per decretum auctoritatis competentis.

Canon 5 (CIC 154)

Officium quod curam animarum in foro sive externo sive interno secum fert, clero sacerdotio nondum aucto valide conferri nequit, salvis praescriptis can... (de officiis quae a diaconis impleri valent).

Canon 6 (CIC 155)

Officii provisio, cui nullus terminus fuerit lege speciali praescriptus, numquam differatur ultra sex menses utiles ab habita vacationis notitia.

Canon 7 (CIC 156)

§ 1. Nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem congrue adimpleri nequeunt.

§ 2. Firmo praescripto can. 1888, n. 3, collatio alicui facta officii incompatibilis cum eo, quod iam possidet, irrita est, nisi clausula adiiciatur derogatoria.

Canon 8 (CIC 150)

§ 1. Provisio officii de iure non-vacantis ad normam can. 183 § 1 est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit, firma § 2.

§ 2. Quod si agatur de officio quod de iure ad tempus determinatum confertur, provisio nonnisi a sex mensibus ante expletum hoc tempus fieri potest, et effectum habet expleto hoc tempore.

§ 3. Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum.

Canon 9 (CIC 151)

Officium de iure vacans, quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite secundum sacros canones declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

Canon 10 (CIC 158)

Qui vicem alterius negligentis vel impediti supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in nominatum, sed huius conditio iuridica perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset.

Canon 11 (CIC 159)

Cuiuslibet officii provisio scripto, in actibus Curiae, consignetur.

Art. I - DE LIBERA COLLATIONE*Canon 12 (CIC 152)*

Nisi aliud expresse iure statuatur, loci Ordinarii, exclusis tamen, nisi speciale habeatur mandatum, Vicario Generali et Vicario Episcopali, est libera collatione providere officiis ecclesiasticis in proprio territorio.

Canon 13 (CIC 157)

Officium vacans per renuntiationem aut per decretum privationis nequit ab Ordinario, qui renuntiationem acceptavit aut decretum tulit, valide conferri suis aut resignantis consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

Art. II - DE ELECTIONE

Canon 14 (CIC 160) (norma provisorie inscripta)

Romani Pontificis electio unice regitur Const. Pii XII *Vacantis Apostolicae Sedis*, 8 decembris 1945 et M.P. Ioannis XXIII *Summi Pontificis electione*, 5 septembris 1962.

Canon 14 bis (CIC 160)

Nisi aliter iure universalis vel particulari aut legitimis collegiorum vel coetuum statutis provisum fuerit, in coeteris electionibus canonicis serventur praescripta canonum qui sequuntur.

Canon 15 (CIC 161)

Si cui collegio aut coetui personarum sit ius eligendi ad officium, electio non differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii; quo termino inutiliter elapso, auctoritas ecclesiastica, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.

Canon 16 (CIC 162)

§ 1. Collegii aut coetus praeses, statuto modo, loco ac tempore electoribus convenienti, convocet omnes ad collegium aut coetum pertinentes; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat vel in loco domicilii aut quasi-domicilii vel in loco commorationis.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet; attamen ad eiusdem instantiam, probata quidem praeteritione et absentia, electio, etiam si confirmata fuerit, a competenti auctoritate irritari debet, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.

§ 3. Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla, nisi omnes neglecti reapse interfuerint.

Canon 17 (CIC 163)

§ 1. Convocatione legitime facta, firmo quidem can. 16, suffragium ferendi ius habent praesentes die et loco in eadem convocatione statutis, exclusa facultate ferendi suffragia sive per epistulam, sive per procuratorem.

§ 2. Si quis ex electoribus praesens sit in domo in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur.

Canon 18 (CIC 164)

Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

Canon 19 (CIC 165)

Ut valida sit electio, nemo ad suffragium admitti potest, qui ad collegium vel coetum non pertinet, salvis legitimis privilegiis.

Canon 20 (CIC 166)

Electio, cuius canonica libertas quoque modo impedita fuerit, ipso iure invalida est.

Canon 21 (CIC 167)

§ 1. Nequeunt suffragium ferre:

- 1° Incapaces actus humani;
- 2° Minores sexdecim annorum;
- 3° (circa infamiam iuris res accommodabitur ad ea quae in Coetu de poenis statuentur);

4° Qui communitati ecclesiali ab Apostolica Sede Romana seiunctae adscripti sunt, salvis statutis consociationum christifidelium de quibus in canonibus...;

5° Carentes voce activa sive vi praescripti iuris universalis aut particularis, sive ob legitimam iudicis sententiam.

§ 2. Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

Canon 22 (CIC 169)

§ 1. Suffragium ut validum sit, requiritur:

1° liberum; ideoque invalidum est suffragium eius, qui metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive;

2° secretum, certum, absolutum, determinatum.

§ 2. Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adiectae censentur.

Canon 23 (CIC 170)

Suffragium sibimetipsi nemo valide dare potest.

Canon 24 (CIC 171)

§ 1. Antequam incipiat electio, per secreta suffragia deputentur, nisi iam propriis statutis deputati sint, e gremio collegii aut coetus duo saltem scrutatores.

§ 2. Scrutatores curent ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato ordine statuto ab unoquoque electore ferantur; collectisque omnibus schedulis, coram praeside electionis, secundum formam propriis constitutionibus vel legitimis consuetudinibus statutam, inspiciant an schedularum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quot quisque retulerit.

§ 3. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.

§ 4. Schedulæ statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, destruantur.

§ 5. Omnia electionis acta ab eo, qui actuarii munere fungitur, accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.

Canon 25 (CIC 172)

§ 1. Electio, nisi aliud iure caveatur, fieri etiam potest per compromissum, dummodo nempe electores, unanimi et scripto consensu, in idoneos sive de gremio sive extraneos ius eligendi pro ea vice transferant, unum vel plures, qui nomine omnium ex recepta facultate elegant.

§ 2. Si agatur de clericali collegio aut coetu, scilicet ex solis clericis constante, compromissarii in sacris debent esse constituti; secus electio est invalida.

§ 3. Compromissarii debent iuris praescripta de electione servare, atque, ad validitatem electionis, conditiones compromisso appositas, nisi iuri non contrarias, observare; conditiones autem iuri contrariae pro non appositis habeantur.

Canon 26 (CIC 173)

Cessat compromissum et ius suffragium ferendi redit ad compromitentes:

- 1° revocatione a collegio aut coetu facta, re integra;
- 2° non impleta aliqua conditione compromisso apposita;
- 3° electione absoluta, si fuerit nulla.

Canon 27 (CIC 174)

Is electus habeatur et a collegii aut coetus praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can...

Canon 28 (CIC 175)

§ 1. Electio illico intimanda est electo, qui debet intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare collegii aut coetus praesidi utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet; secus electio effectum non habet.

§ 2. Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione amittit nec subsequenti acceptatione convalescit; rursus eligi potest; collegium aut coetus intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet.

Canon 29 (CIC 176)

§ 1. Electus, acceptata electione, quae confirmatione non egeat, plenum ius statim obtinet; secus, non acquirit nisi ius ad rem.

§ 2. Ante intimatam confirmationem, electo non licet sese immiscere administrationi officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt.

Canon 30 (CIC 177)

§ 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, intra octiduum a die intimatae electionis confirmationem ab auctoritate competenti petere per se vel per alium debet; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento detentum fuisse.

§ 2. Competens auctoritas, si electum repererit idoneum, et electio ad normam iuris fuerit peracta, confirmationem denegare nequit.

§ 3. Confirmatio in scriptis dari debet.

§ 4. Facta confirmatione, electus obtinet plenum ius in officium, nisi aliud in iure caveatur.

Canon 31 (CIC 178)

Si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium coetusve iure eligendi legitime privetur, libera officii provisio ad eam auctoritatem devolvitur, a qua confirmando esset electio vel cui ius providendi successive competit.

Art. III - DE POSTULATIONE

Canon 32 (CIC 179)

§ 1. Si electioni illius, quem electores aptiorem putent ac preferant, impedimentum obstet, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competenti auctoritate postulare.

§ 2. Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum.

Canon 33 (CIC 180)

§ 1. Ut postulatio vim habeat, requiruntur saltem duae tertiae partes suffragiorum.

§ 2. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: *postulo*, aut aequivalens; formula: *eligo vel postulo*, aut aequipollens, valet pro electione, si impedimentum non existat, secus pro postulatione.

Canon 34 (CIC 181)

§ 1. Postulatio intra octiduum mitti debet ad auctoritatem competentem ad quam pertinet electionem confirmare, cuius est dispensationem de impedimento concedere, aut, si facultatem non habeat, eandem ab auctoritate superiore petere; si non requiritur confirmatio, postulatio mitti debet ad auctoritatem competentem ad dispensationem concedendam.

§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla est, et electores pro ea vice privantur iure eligendi aut postulandi, nisi probent se a mittenda postulatione iusto detentos fuisse impedimento.

§ 3. Postulato nullum ius acquiritur ex postulatione; eam auctoritas competens admittere non tenetur.

§ 4. Praesentatam auctoritati competenti postulationem electores revocare non possunt, nisi auctoritate consentiente.

Canon 35 (CIC 182)

§ 1. Non admissa ab auctoritate competenti postulatione, ius eligendi ad collegium vel coetum reddit.

§ 2. Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulato, qui respondere debet ad normam can. 28 § 1 (CIC 175).

§ 3. Qui admissam postulationem acceptet, plenum ius statim in officio acquirit.

Caput III - DE AMISSIONE OFFICII ECCLESIASTICI

Canon 1 (CIC 183)

§ 1. Amittitur officium ecclesiasticum lapsu temporis praefiniti, expletione aetatis qua quis ad normam iuris fit emeritus, renuntiatione, translatione, amotione necnon privatione.

§ 2. Resoluto quovis modo iure Superioris a quo fuerit collatum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi aliud iure caveatur.

§ 3. Officii amissio, quae effectum sortita fuerit, quamprimum omnibus nota fiat quibus aliquod ius in officii provisionem competit.

1. DE EMERITIS

Canon 2 (novus)

Qui expleverit aetatem, qua impleta ad normam iuris emeritus fit, officium retinet usquedum amissio officii ipsi a competenti auctoritate scripto intimetur.

2. DE RENUNTIATIONE

Canon 3 (CIC 184)

Quisquis sui compos potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare, nisi renuntiatio sit ipsi canonice interdicta.

Canon 4 (CIC 185)

Renuntiatio ex metu gravi, iniuste incusso, dolo aut errore substantiali vel simoniace facta, ipso iure irrita est.

Canon 5 (CIC 186-187-189-191)

§ 1. Renuntiatio ut valeat, sive acceptatione egeat sive non, ei auctoritati fieri debet cui provisio ad officium de quo agitur pertinet.

§ 2. Auctoritas renuntiationem iusta et proportionata causa non innixam ne acceptet.

§ 3. Renuntiatio quae acceptatione indiget, ut effectum sortiri valeat, intra tres menses acceptari debet; quae acceptatione non indiget, effectum sortitur intimatione ad normam iuris facta.

§ 4. Renuntiatio quamdiu effectum sortita non fuerit, a renuntiante revocari valet; effectu secuto revocari nequit, sed qui renuntiaverit, officium alio ex titulo consequi potest.

3. DE TRANSLATIONE

Canon 6 (CIC 193)

§ 1. Translatio ab eo tantum fieri potest, qui ius habet providendi officio quod amittitur simul ac officio quod committitur.

§ 2. Ad translationem, si fit de consensu eius qui officium detinet, sufficit quaelibet iusta causa; si fit eodem invito, eadem causa requiritur idemque modus procedendi servandus est qui pro amotione ab officio praescribuntur.

§ 3. Translatio ut effectum sortiatur scripto intimanda est.

Canon 7 (CIC 194)

§ 1. In translatione prius officium vacat per possessionem alterius officii canonice habita, nisi aliud iure cautum aut a competenti auctoritate praescriptum fuerit.

§ 2. Reditus prioris officii translatus percipit, donec alterius possessionem canonice habeat.

4. DE AMOTIONE

Canon 8

Ab officio quis amovetur sive decreto auctoritatis competentis ad normam can. 5, servatis quidem hoc casu iuribus ex contractu quae sitis, sive ipso iure ad normam can. 3.

Canon 9

§ 1. Ab officio quod, secundum iuris praescripta, alicui confertur ad nutum auctoritatis competentis, potest quis qualibet iusta ex causa, de iudicio eiusdem auctoritatis, amoveri.

§ 2. Ab officio quod alicui confertur per se ad vitam, non potest quis amoveri nisi ob causas iure determinatas atque servato procedendi modo eodem iure definito.

§ 3. Eadem norma § 2 valet ut ab officio quod alicui ad tempus determinatum confertur, quis, ante hoc tempus elapsum, amoveri possit.

§ 4. Decretum amotionis ut effectum sortiatur scripto intimandum est.

Canon 10

§ 1. Ipso iure a quolibet officio amovetur:

1° qui a fide catholica aut a communione Ecclesiae publice defecerit;

2° qui matrimonium civile tantum, contra iuris canonici praescripta, contraxerit;

3° qui aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatibile acceptaverit et eiusdem pacificam possessionem obtinuerit, salvo canone... (ubi de clausula derogatoria);

4° qui professionem religiosam emiserit, nisi de consensu auctoritatis competentis atque Superioris religiosi officium retinere possit;

5° qui intra tempus utile, ipso iure aut ab auctoritate competenti statutum, officium sibi collatum adire neglexerit;

6° qui, contra iuris praescripta, officium deseruerit;

7° qui residentiam, qua tenetur, illegitime deseruerit et receptae auctoritatis competentis monitioni, legitimo impedimento non detenus, intra congruum tempus ab auctoritate praefinitum, nec paruerit nec responderit.

§ 2. *Ipsò facto ab officio clericali amovetur:*

1° qui statum clericalem amiserit;

2° qui militiae saeculari nomen sponte dederit.

§ 3. *Amotio, de qua in §§ 1 et 2, ut urgeri valeat requiritur ut de eadem auctoritatis competentis declaratione constet.*

Canon 11 (novus)

Si quis per decretum auctoritatis competentis ab officio amoveatur quo eiusdem subsistentiae providetur, eadem auctoritas curare debet ut ipsius subsistentiae congruo tempore prospiciatur, nisi aliter eidem provisum sit.

5. DE PRIVATIONE

Canon 12

§ 1. *Privatio ab officio, in poenam scilicet delicti, ad normam iuris tantummodo fieri potest.*

§ 2. *Privatio effectum sortitur secundum praescripta canonum de iure poenali.*

